



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Arelatense I. Constantini Magni Ivssv In Caeciliani & Donatistarum causa celebratum Volusiano & Anniano coss. anno Christi CCCXIV. Siluestri Papae primo, Constantini eiusdem Augusti nono, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

Acta Siluestri Papæ germana & authentica, a Græcorum corruptelis expurgata, summatim descripta, vide in epistola prima Hadriani Papæ I. ad Constantinum & Irenem imperatores: & epistola tertia eiusdem Hadriani, ad Carolum regem Francorum. Quibus locis quibusque temporibus eadem Acta per impostores Græcos corrupta fuerint, vide infra in Notis ad edictum Constantini imperatoris, cui eadem Acta inserta leguntur.

ANNO  
CHRISTI  
314.

CONCILIVM ARELATENSE I.

CONSTANTINI MAGNI IVSSV IN  
Cæciliani & Donatistarum causa<sup>b</sup> celebratum Vo-  
lufiano & Anniano cons. anno Christi cccxiv. Silue-  
stri Papæ primo, Constantini eiusdem Augusti nono,  
cum Marinus eius vrbis esset Episcopus.

EPISTOLA CONSTANTINI AVG.  
*ad Vicarium Africae, ut Arelatem ad Concilium  
ire iubeat partes inter quas erat  
controuersia.*

CONSTANTINVS AVGVSTVS<sup>a</sup> ÆLAFIO.

I AM quidem antehac, cum perlatum fuisset ad scientiam meam, apud Africam nostram plures vesano furore vanis criminationibus contra se inuicem super obseruantia sanctissimæ fidei Catholicæ dissidere cœpisse, dirimendæ dissensionis huiusmodi causa placuerat mihi, vt ad urbem Romam tam Cæcilianus Carthaginienfis Episcopus, contra quem vel maxime vniuersi sæpe me conuenerant, quam etiam aliqui ex his, qui ei quædam obiicienda crediderant, præsentiam sui exhiberent. Nam etiam ad supradictam urbem nostram Romam quosdam Episcopos ex Galliis ire præceperam; vt tam hi pro integritate vitæ suæ, atque laudabili instituto, sed & septem eiusdem communionis, quam etiam vrbis Romæ Episcopus, atque illi qui cum iisdem cognoscerent, possent rei quæ videbatur esse commota, finem debitum adhibere. Qui quidem ea quæcumque in præsentia eorum fuerunt gesta, cuncta ad scientiam meam etiam actis habitis retule-



ANNO  
CHRISTI  
314.

runt ; verbo insuper affirmantes , quod iudicium suum pro rerum fuisset æquitate depromptum : eosque potius causæ obnoxios esse dicentes , qui cōtra Cæcilianum quædam putauerunt commouere. adeo vt istud post iudicium habitum Africam ipsos remeasse perhiberent. Inde propter hæc omnia probabili rerum æstimatione speraueram , quod omnibus omnino seditionibus & contentionibus , quæ ab iis hominibus videbantur subito commotæ , finis debitus fuisset impositus. Sed cum dictationis tuæ scripta legissem , quæ ad Nicasium & ceteros super hisdem simulationibus grauitas tua mittenda crediderat , euidenter agnoui , quod neque respectum salutis suæ , neque , quod est maius , Dei omnipotentis venerationem ante oculos suos velint ponere. Siquidem ea agere persistant , quæ non modo ad ipforum dedecus infamiamque pertineant , sed etiam his hominibus detrahendi dent facultatem , qui longe ab huiusmodi sanctissima obseruantia sensus suos noscuntur auertere. Nam id quoque te scire conuenit , quod ex hisdem venerunt , asserentes quod minus dignus idem Cæcilianus cultu sanctissimæ religionis habeatur. Et contra id quod iisdem responderam , frustra eos id iactare , quippe cum res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris Episcopis terminata , obnixè ac pertinaciter respondendum æstimauerunt , quod eorum omnis causa non fuisset audita ; sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent , & prout ipsis aptum fuerat , iudicassent. Quare cum hæc tot & tanta nimium obnixas dissensiones protrahere peruiderem , ita vt nullomodo finis iisdem dari posse videretur , nisi & Cæcilianus idem , & ex his qui contra eum dissident , tres aliqui in iudicium eorum , qui cum Cæciliano sentiunt consensumque debent , ad Arelatense oppidum venerint : iungendum solertia tuæ duxi , vt mox has literas meas acceperis , cum Cæcilianum supradictum , cum aliquibus ex his quos ipse delegerit ; ( sed & de Byzacenæ , Tripolitana , Numidiarum , & Mauritaniarum prouinciis , singuli quique aliquantos ex suis perducere debebunt , quos ipsi putauerint eligendos ) sed etiam aliquos ex his qui contra eundem Cæcilianum dissentiant , data euectione publica , per Africam & Mauritaniam , inde ad Hispanias breui



tractu facias nauigare. Et inde nihilominus his in singulis Episcopis singulas tractorias tribuas, vt ipsi ad supradictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint peruenire: celeriter intimaturus iisdem, vt antequam proficiantur, debeant disponere, quatenus absentibus ipsis & disciplina competens habeatur, & nulla forte seditio, vel aliquorum altercatio, quæ ad maximum dedecus spectet, oriatur. De cetero plena cognitione suscepta finis adhibeatur. Quia cum præsentiam sui exhibuerint, vniuersa quæ nunc in contentione esse noscuntur, non immerito finem debent accipere maturum, vt protinus possint terminari atque componi. Nam cum apud me certum sit, te quoque Dei summi esse cultorem, confiteor grauitati tuæ, quod nequaquam fas esse ducam, vt eiusmodi contentiones & altercationes dissimulentur a nobis, ex quibus forsitan commoueri possit summa diuinitas, non solum contra humanum genus, sed etiam in meipsum, cuius curæ nutu suo cælesti terrena omnia moderanda commisit, vt secus aliquid hætenus incitata decernat. Tunc enim reuera & plenissime potero esse securus, & semper de promptissima beneuolentia potentissimi Dei prosperima & optima quæque sperare, cum vniuersos sensero debito cultu catholica religionis sanctissimum Deum concordis obseruantia fraternitatis venerari.

*Exemplum alterius epistolæ Constantini ad Episcopum Syracusanum, vt cum duobus aliis pergat ad Concilium Arelatense.*

Ex Græca eius interpretatione, quæ apud Eusebium extat. lib. x. Historiæ Eccles. c. v.

CONSTANTINVS AVGVSTVS CHRETO  
*Episcopo Syracusano.*

I AM quidem & antea, cum quidam improbo ac peruerso studio de sancti cælestisque numinis cultu & fide catholica dissidere cœpissent, ad refecandas illorum huiusmodi contentiones ita constitueram, vt missis aliquot e Gallia Episcopis, tum aduenire iussis ab Africa iis, qui diuersarum



ANNO  
CHRISTI  
314.

uersarum partium erant, atque obnixius inter se, pertinaciusque contendebant, præfente insuper Romano Episcopo, posset id omne, quod commotum videbatur, præsentibus ipsis accurata disceptatione componi. Sed quia nonnulli, vt fere fit, suæ ipsorum salutis, & reuerentiæ, quæ sanctissimæ fidei debetur, obliuati, priuatas adhuc similitates exercere non cessant, dum prolato iam iudicio acquiescere nolunt, causanturque a paucis videlicet dictas sententias fuisse, atque hos ipsos non omnibus quæ inquiri ante oportebat, diligenter examinatis, ad depromendum iudicium præpropere festinanterque processisse. Quo fit, vt & ipsi, quos fraternum & concordem animorum consensum retinere par erat, turpi aut nefaria potius dissensione discrepent, & auersis a sanctissima religione hominibus ludibrii occasionem præbeant. Propterea mihi sedulo prouidendum fuit, vt hæc quæ post iudicium prolatum sedari voluntario assensu debuerant, vel nunc tandem multis præsentibus exitum fortiantur. Quoniam ergo plurimos ex diuersis compluribus locis Episcopos in Arelatensium oppido ad Kalendas Augusti conuenire præcepimus, tibi etiam per literas significandum duximus, vt accepto a clarissimo viro Latroniano Correctore Sicilia publico vehiculo, cum duobus aliis secundæ sedis, quos ipse deligendos iudicaueris, tribusque vna famulis, qui vobis in via ministrent, adscitis, designatum in locum ad diem prædictam te conferas: vt per grauitatem tuam, & ceterorum qui conuenturi sunt, vnanimem conspirantemque prudentiam, dissidium hoc, quod male hætenus per fœdas quasdam contentiones perseuerat, omnibus auditis, quæ ab iis qui inter se nunc dissident, quosque pariter adesse iussimus, in medium proferentur, ad debitam religionem & fidem, fraternamque concordiam, vel sero tandem reuocari queat. Incolumem te Deus omnipotens multis annis custodiat.



·EPISTOLA SYNODI ARELATENSIS  
ad Siluestrum Papam, de rebus in ea gestis, &  
Canonibus ab ea constitutis.

*Dilectissimo Papa Siluestro, Marinus, Agræcius, Natalis, Theodoros, Proterius, Vocius, Verus, Probatius, Cæcilianus, Faustinus, Surgentius, Gregorius, Reticius, Ambitautus, Termatius, Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernius, Fortunatus, Aristasius, Lampadius, Vitalis, Maternus, Liberius, Gregorius, Crescens, Avitianus, Dasius, Orientalis, Quintasius, Victor, Epictetus, in Domino æternam salutem.*

COMMUNI copula caritatis & vnitæ matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensium ciuitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, gloriosissime Papa, commerita reuerentia salutamus. Vbi graues ac perniciosos legi nostræ atque traditioni, effrænataque mentis homines pertulimus: quos & Dei nostri præsens auctoritas, & traditio ac regula veritatis ita respuit, vt nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus vllus, aut probatio conueniret. Ideo iudice Deo & matre Ecclesia, quæ suos nouit & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi. Et vtinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses. profecto credimus, quia in eos seuerior fuisset sententia prolata: & te pariter nobiscum iudicante, cœtus noster maiore lætitia exultasset. Sed quoniam recedere a partibus illis minime potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur. Non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda, frater carissime, ad quæ fueramus inuitati. Sed & consulendum nobis ipsis censuimus: & cum diuersæ sint prouinciæ ex quibus aduenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus obseruare debere. Placuit ergo, præsentente Spiritu sancto & angelis eius, vt & his qui singulos  
\*\* quos mouebat iudicare proferremus de quiete præsentis. Placuit etiam antequam a te qui maiores dioceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit quod senserimus, scripto nostræ mediocritatis subiunxi-



ANNO  
CHRISTI  
314.

mus. At id primo in loco de vita nostra atque vtilitate tractandum fuit, vt quia vnus pro multis mortuus est & resurrexit, ab omnibus tempus ipsum ita religiosa mente obseruetur, ne diuisiones vel dissensiones in tanto obsequio deuotionis possint exurgere. Censemus ergo Pascha Domini per orbem totum vna die obseruari. De his quoque qui quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseuerent. De his etiam qui arma in pace proiciunt, placuit abstineri eos a communione. De Circissariis agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quādiu agitant, a communione separari. De theatricis, ipsos placuit quamdiu agunt, a communione separari. De his qui in infirmitate sunt constituti, & credere volunt, placuit eis manum imponi. De praesidibus autem, qui fideles sunt, & ad praesidatum consiliunt, ita placuit, vt cum promoti fuerint, literas quidem accipiant Ecclesiasticas communicatorias; ita tamen, vt in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopis eiusdem loci cura de illis agatur; & si coeperint contra disciplinam agere, tunc demum a communione excludantur. Et de his quidem qui in repub. agere volunt, similiter. De Afris autem, quod propria sua lege vtuntur vt rebaptizent, placuit vt ad Ecclesiam si aliquis haereticus venerit, interrogent eum Symbolum; & si peruiderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus tantum ei imponatur. Quod si interrogatus Symbolum, non responderit Trinitatem hanc, merito baptizetur, &c. Tunc tādians iussit omnes ad suas sedes redire. Amen.



*5 Synodi eiusdem editio vulgata, solos Canones & Episcoporum nomina complectens, cum breuiario epistolæ superscriptæ.*

SYNODVS EPISCOPORVM, QVI IN ciuitate Arelatensium apud Marinum Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, temporibus Constantini Augusti, Volufiano & Anniano coss. conuenerunt.

TITVLI CANONVM.

- |   |   |
|---|---|
| I. <i>Vt vno die &amp; tempore Pascha celebretur.</i>                       | XIII. <i>De iis qui scripturas sacras, vasa Dominica, vel nomina fratrum tradidisse dicuntur.</i> |
| II. <i>Vt vbi quisque ordinatur, ibi permaneat.</i>                         | XIV. <i>Vt qui falso accusant fratres suos vsque ad exitum excommunicentur.</i>                   |
| III. <i>Vt qui in * pace arma proiciunt, excommunicentur.</i>               | XV. <i>Vt diacones non offerant.</i>  |
| IV. <i>Vt aurige, dum agitant, excommunicentur.</i>                         | XVI. <i>Vt vbi quisque fuit excommunicatus, ibi communionem consequatur.</i>                      |
| V. <i>Vt theatrici, quamdiu agunt, excommunicentur.</i>                     | XVII. <i>Vt nullus Episcopus alium conculcet Episcopum.</i>                                       |
| VI. <i>Vt in infirmitate conuersi manus impositionem accipiant.</i>         | XVIII. <i>De diaconibus vrbicis, vt sine presbyterorum conscientia nihil agant.</i>               |
| VII. <i>De fidelibus, qui presides fiunt, vel rempublicam agere volunt.</i> | XIX. <i>Vt peregrinis Episcopis locus sacrificandi detur.</i>                                     |
| VIII. <i>De baptismo eorum qui ab hæresi conuertuntur.</i>                  | XX. <i>Vt sine tribus Episcopis nullus Episcopus ordinetur.</i>                                   |
| IX. <i>Vt qui confessorum literas asferunt, alias accipiant.</i>            | XXI. <i>Vt presbyteri, aut diacones, qui ad alia loca se transferunt, deponantur.</i>             |
| X. <i>Vt is cuius vxor adulterauerit, aliam illa viuente non accipiat.</i>  | XXII. <i>De apostatis, qui in infirmitate communionem petunt.</i>                                 |
| XI. <i>De puellis quæ gentilibus iunguntur.</i>                             |   |
| XII. <i>Vt clerici feneratores excommunicentur.</i>                         |   |

BREVIARIUM EPISTOLÆ.

*6 Domino sanctissimo fratri Siluestro Marinus, vel cætus Episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi.*

QVID decreuerimus communi consilio \* caritati tuæ significamus, vt omnes sciant quid in futurum obseruare debeant.

\* caritative sig.



CANONES.

I.

PRIMO loco<sup>d</sup> de obseruatione<sup>e</sup> Paschæ Domi-  
nici, vt vno die & vno tempore per omnem  
orbem a nobis obseruetur, & iuxta consuetudi-  
nem literas ad omnes tu dirigas.

De consec.  
dist. 3. De  
obseruatio-  
ne Paschæ.

II.

De his qui in quibuscumque locis ordinati fue-  
rint ministri, in ipsis locis perseuerent.

Iuo part.x.  
cap. 122.

III.

De his qui arma proiiciunt in pace, placuit ab-  
tineri eos a communione.

IV.

<sup>e</sup> De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos,  
quamdiu agitant, a communione separari.

V.

De theatricis, & ipsos placuit, quamdiu agunt, a  
communione separari.

VI.

<sup>f</sup> De his qui in infirmitate credere volunt, pla-  
cuit eis debere manum imponi.

VII.

<sup>g</sup> De præsidibus, qui fideles ad præsidatum pro-  
filiunt, placuit, vt cum promoti fuerint, literas ac-  
cipiant Ecclesiasticas communicatorias: ita tamen,  
vt in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo  
eiusdem loci cura de illis agatur, & cum cœperint  
contra disciplinam agere, tum demum a commu-  
nionem excludantur. Similiter & de his qui rempu-  
blicam agere volunt.



## VIII.

De conféc.  
dist. 4. De  
Arianis.

7 De \* Afris, quod propria lege sua vtuntur vt rebaptizent, placuit vt si ad Ecclesiam aliquis de \* hæresi venerit, interrogent eum symbolum; & si peruiderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, vt accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.

\* h. Eius  
legit A-  
rianis,

\* de hac

## IX.

De his qui Confessorum literas afferunt, placuit, vt sublatis eis literis alias accipiant communicatorias.

## X.

Ino P. VIII.  
cap. 258.

De his qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit vt in quantum possit consilium eis detur, ne viuentibus vxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.

## XI.

De puellis fidelibus quæ gentilibus iunguntur, placuit vt aliquanto tempore a communione separentur.

## XII.

14. q. 4. Mi-  
nistri qui  
fenerant.

De ministris qui fenerant, placuit eos iuxta formam diuinitus datam a communione abstinere.

## XIII.

De his qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, vt quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine cleri amoueat. Nam si iidem aliquos ordinasse



ANNO  
CHRISTI  
314.

fuerint deprehensi, & de his quos ordinauerint ratio subsistit, non illis obsit ordinatio. Et quoniam multi sunt qui contra Ecclesiasticam regulam pugnare videntur, & per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere, omnino non admittantur, nisi vt supra diximus, actis publicis docuerint\*.

\* omni se  
suspicio-  
ne care-  
re.

X I V.

<sup>1</sup> De his qui falso accusant fratres suos, placuit eos vsque ad exitum non communicare.

X V.

De diaconibus quos cognouimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.

X V I.

De his qui pro delicto suo a communionem separantur, placuit vt in quibuscumque locis fuerint exclusi, eodem loco communionem consequantur.

X V I I.

\* concul-  
cet.

Vt nullus Episcopus alium Episcopū\* inculcet.

Iuo Parr. v.  
cap. 228.

X V I I I.

De diaconibus vrbicis, vt non sibi tantum præsumant, sed honorem presbyteris reseruent, vt sine conscientia ipsorum nihil tale faciant.

X I X.

De Episcopis peregrinis qui in vrbem solent venire, placuit eis locum dari vt offerant.

Iuo Parr. v.  
cap. 216.

X X.

De his qui vsurpant sibi quod soli debeant Episcopos ordinare, placuit vt nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis.



Si tamen non potuerit septem , infra tres non au-  
deat ordinare.

ANNO  
CHRISTI  
314.

## X X I.

Iuo P. vi.  
cap. 172.

De presbyteris , aut diaconibus , qui solent di-  
mittere loca sua in quibus ordinati sunt , & ad alia  
loca se transferunt , placuit vt eis locis ministrent ,  
quibus præfixi sunt. Quod si relictis locis suis ad a-  
lium se locum transferre voluerint , deponantur.

## X X I I.

De his qui apostatant , & nunquam se ad Eccle-  
siam repræsentant , ne quidem pœnitentiam agere  
quærunt , & postea infirmitate arrepti petunt com-  
munionem ; placuit eis non dandam communio-  
nem nisi reualuerint , & egerint dignos fructus pœ-  
nitentiæ.

<sup>10</sup> *Nomina Episcoporum cum clericis suis , quinam , & ex quibus  
prouinciis ad Arelatensem Synodum conuenerint.*

<sup>m</sup> **C**HRESTVS Episcopus , Florus diaconus , ex ciuitate Syracu-  
sanorum , prouincia Sicilia.  
Proterius Episcopus , Agrippa & Pinus diacones , de ciuitate Ca-  
puensium , prouincia Campania.  
Pardus Episcopus , Crescens diaconus , de ciuitate Arpiensium , pro-  
uincia Apulia.  
Theodorus Episcopus , Agathon diaconus , de ciuitate Aquileiensi ,  
prouincia Dalmatia.  
Claudianus & Vitus presbyteri , Eugenius & Cyriacus diacones , ex  
vrbe Roma missi a Siluestro Episcopo.  
Merocles Episcopus , Seuerus diaconus , de ciuitate Mediolanensi ,  
prouincia Italia.  
Orestius Episcopus , Nazarius lector , de ciuitate Massiliensi , pro-  
uincia Viennensi.  
Marinus Episcopus , Salamas presbyter , Nicasius , Afer , Vrsinus , &  
Petrus , diacones , de ciuitate Arelatensium , prouincia Viennensi.  
Verus Episcopus , Bedas exorcista , de ciuitate Viennensi , prouincia  
supra scripta.  
Dafnus Episcopus , Victor exorcista , de ciuitate Vafensi , prouincia  
Viennensi.

Faulti-



Fauftinus presbyter, de ciuitate Arauficorum, prouincia quæ supra.

Innocentius diaconus, Agapius exorcista, ex portu Nicaensi.  
Romanus presbyter, Victor exorcista, de ciuitate Aptensium.

## ITEM DE GALLIIS.

Imbetausius Episcopus, Primigenius diaconus, de ciuitate Rhemorum.

Auitianus Episcopus, Nicetius diaconus, de ciuitate Rotomagensium.

Reticius Episcopus, Amandus presbyter, Philomatus diaconus, de ciuitate Augustodunensium.

Vocius Episcopus, Petulinus exorcista, de ciuitate Lugdunensium.

Maternus Episcopus, Macrinus diaconus, de ciuitate Agrippinensium.

Genialis diaconus, de ciuitate Gabalum, prouincia Aquitania.

Orientalis Episcopus, Flauius diaconus, de ciuitate Burdegalensi.

Agroecius Episcopus, Felix exorcista, de ciuitate Treuerorum.

Mamertinus Episcopus, Leontius diaconus, de ciuitate Elosatium.

Eborius Episcopus, de ciuitate Eboracensi, prouincia Britannia.

Restitutus Episcopus, de ciuitate Londinensi, prouincia superscripta.

Adelfius Episcopus, de ciuitate Colonia Londinensium. exinde Sacerdos presbyter, Arminius diaconus.

Liberius Episcopus, Florentius diaconus, de ciuitate Emerita, prouincia Hispania.

Sabinus presbyter, de ciuitate Bætica.

Natalis presbyter, Cytherius diaconus, de ciuitate Vrsolensium.

Probatius presbyter, Castorius diaconus, de ciuitate Tarracone.

Clementius presbyter, Rufinus exorcista, de ciuitate Cæsaraugusta.

Termatius presbyter, Victor lector, de ciuitate Bastigensium.

Fortunatus Episcopus, Deuterius diaconus, de ciuitate Cæsariensi, prouincia Mauritania.

Quintus Episcopus, Ammonius presbyter, de ciuitate Caralis, prouincia Sardinia.

## ITEM PROVINCIA AFRICA.

Cæcilianus episcopus, de ciuitate Carthaginensi. cum ipso Sperantius diaconus.

Lampadius Episcopus, de ciuitate Vtina.

Victor Episcopus, de ciuitate Vtica.

Anastasius Episcopus, de ciuitate Beneuentina.

Fauftus Episcopus, de ciuitate Tuborbitana.

Surgentius Episcopus, de ciuitate Pocofeltis.

Victor Episcopus, de ciuitate Legisyolumini, prouincia Numidia.

Vitalis Episcopus, de ciuitate Verensium.

Gregorius Episcopus, de loco qui est in portu Romæ.

Epictetus Episcopus, a Centumcellis.

Leontius & Mercurius presbyteri ab Ostiis.

*Concil. Tom. 2.*

E



*13 Rescriptum Constantini Augusti post Synodum , ad  
Episcopos qui interfuerant , vt ad suas  
prouincias reuertantur.*

CONSTANTINVS AVGVSTVS EPISCOPIS  
*Catholicis carissimis fratribus salutem.*

ÆTERNA & religiosa incomprehensibilis pietas Dei nostri nequaquam permittit humanam conditionem diutius in tenebris oberrare ; neque patitur exosas quorundam voluntates vsque in tantum peruadere , vt non suis præclarissimis luminibus denuo pandens iter salutare, eas det ad regulã iustitiæ conuerti. Habeo quippe cognitum multis exemplis, hæc eadem ex meipso metior. Fuerant enim in me primitus, quæ iustitia carere videbantur; nec vlla putabam videre supernam potentiam, quæ iuxta secreta pectoris mei gererem. Equidem hæc, vt dixi, æquam fortunam debuerunt fortiri, scilicet omnibus malis redundantem. sed Deus omnipotens in cælis per sæcula residens tribuit quod non merebar. Certo iam neque dici, neque enumerari possunt ea, quæ caelesti sua in me famulum suum beniuolentia concessit, sanctissimi Antistites Christi saluatoris, fratres carissimi. Gaudeo igitur equidem specialiter, gaudeo quod tandem habita iustissima diiudicatione, eos ad meliorem spem fortunamque reuocastis, quos malignitas diaboli videbatur a præclarissima luce legis Catholicæ sua persuasione auertisse. O vere victrix prouidentia Christi saluatoris, vt etiam his consuleret, qui iam desciscentes a veritate, quodammodo aduersus ipsam arma inducentes gentibus se copulauerant. Qui si vel nunc vera fide voluerint obsequia sanctissimæ legi deferre, intelligere poterunt, quantum sibi nutu Dei sit prouisum. Et hoc quidem, sanctissimi fratres, sperabam etiam in eis quibus ingenita est maxima durities animi, posse reprehendi. Sed non profuit apud eos recta diiudicatio, neque in eorum sensus ingressa est diuinitas propitia. Re vera enim non immerito ab his procul abscesserit Christi clementia, in quibus manifesta luce



ANNO  
CHRISTI  
314.

claret, huiusmodi esse, vt eos etiam a cælesti prouisione exosos cernamus. quæ in ipsos tanta vesania perseuerat, cum incredibili arrogancia persuadeant sibi quæ nec dici nec audiri fas est, desciscentes a recto iudicio dato, quo cælesti prouisione meum iudicium eos comperi postulare. quæ vis malignitatis in eorundem pectoribus perseuerat. Quotiens a me iam ipso improbissimis aditionibus suis sunt condigna responsione oppressi? qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto. Dico enim vt se veritas habet, sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia vt vere dixit diaboli? Perquirunt secularia, relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem gentes, minora interdum iudicia refugientes, vbi iustiti adprehendi potest, magis ad maiora iudicia auctoritate interposita ad appellationem se conferre sunt solita. Quid hi detractores legis, qui renuentes cæleste iudicium, meum putauerunt postulandum, sic sentire de Christo saluatore? Ecce iam proditores, ecce sine vlla acriori disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua. Quæ ab ipsis sentitur humanitas, qui in ipso Deo immanes profilierunt? Equidem, fratres carissimi, licet hæc in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos, qui Domini saluatoris sequimini viam, patientiam adhibere, data his adhuc optione quid putent deligendum. ac si eos in hisdem videritis perseuerare, protinus cum his quos Dominus dignos cultu suo iudicauit, proficiscimini & redite ad proprias sedes; meique mementote, vt mei Saluator noster semper misereatur. Ceterum direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, vt ibi degant, ibi sibi mortem peruideant. Dedi quoque literas competentes ad eum, qui vicariam præfecturam per Africam tuetur, vt quotquot huius infanix similes inuenerit, statim eos ad comitatum meum dirigat, ne vltius sub tanta claritate

Optatus  
lib. 1. con-  
tra Par-  
men.



Dei nostri ea ab ipsis fiant, quæ maximam iracundiam cælestis prouidentia possint incitare. Incolumes vos Deus omnipotens tribuat votis meis & vestris per sæcula, fratres carissimi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Epistola Constantini.*] Hanc epistolam, cum altera Synodica ad Siluestrum, primus ante annos XL. in lucem dedit P. Pithœus, & partem esse aëtorum Concilii Arelatenfis recte iudicauit. Ideo & nos illas suis hic locis reddendas curauimus.

<sup>2</sup> *Ælasio.*] Ita veteres schedæ Pithœanæ. pro quo alii postea coniecturæ indulgentes, *Ablasio* ediderunt. Quod vero vicarium Africa appellauimus, nostra fuit coniectura, quia vicariæ potestati congruere videbantur quæ Ælasio præcipit Imperator.

<sup>3</sup> *Correctore Sicilia.*] Interpres Eusebii corruptum nactus Græcum exemplar, Conductorem reddidit: & corrupte, nunc etiam in vulgatis *κονδύκτωρος* legitur, pro *κονφύκτωρος*. Siciliam enim, quæ consulares postea iudices habuit, Correctoribus aliquando paruifse confirmat vetus inscriptio Lilybætana: *Zenofilo v. c. Correctori prouincie Sicilia.*

<sup>4</sup> *Epistola Synodi.*] Huic titulus in iisdem schedis: *Concilium Episcoporum Arelate celebratum, & directum Siluestro Episcopo.* Et hanc quoque agnoscunt antiquæ Canonum collectiones, vna Andegauenfis, altera S. Benigni Diuionensis, quæ primum huius Concilii Canonem iisdem, quibus infra textitur, verbis proferunt: *Censuimus ergo Pascha Domini per orbem totum vna die celebrare.*

<sup>5</sup> *Synodi editio vulgata.*] Quæ sola nimirum hæcenus, cum subdito Episcoporum catalogo, Concilii huius nomine circumferbatur.

<sup>6</sup> *Pascha Dominici.*] Aut legendum *Pascha Domini*, sicut in epistola Synodica, & apud Iuonem & Gratianum legitur; aut, vt optimi quique codices habent, *Pascha Dominica*, vsu apud multos tum recepto, qui in eo casu sic enuntiabant: vt Gaudentius Brixianus Tract. iv. *Iudaica Pascha obseruationem. & lex celebranda Pascha* apud eundem Tract. viii. Item *dies future Pascha* in Concilio Maximianistarum, quod recitat Augustinus in expositione Psalmi xxxvi.

<sup>7</sup> *De Afris.*] Certa lectio, quam asserunt codices antiqui, & epistola Synodica. Male in vulgatis & apud Gratianum legitur *De Ariamis*: Ariani siquidem exorti hoc tempore nondum erant.

<sup>8</sup> *Vt nullus Episcopus alium Episcopum inculcet.*] Distinctus est Canon in vulgatis, & apud Burchardum & Iuonem, atque in collectione S. Benigni. Rectius autem, mea sententia, in codice Rhenensi, Fossatensi, & aliis, cum superiore tamquam eius membrum coniungitur.



ANNO  
CHRISTI  
314.

<sup>9</sup> *De diaconibus vrbicis.*] Canonem hunc cum sequenti, pro tribus qui vulgo male concepti erant, ex veterum librorum fide restituumus.

<sup>10</sup> *Nomina Episcoporum.*] Secuti sumus in hoc indice codicem Corbeiensem, in quo Episcoporum nomina ciuitatum nominibus præponuntur, cum in aliis contra, vt in Rhemenfi sicut in Suriana editione, postponantur hoc modo: *Ex prouincia Sicilia, ciuitate Syracusanorum, Chrestus Episcopus, Florus diaconus,* & ita deinceps in ceteris. Verum in Corbeienfi pro Chresto legitur *Crescens*, quem admodum in epistola Synodica, vt iure ambigi queat, vtrum nomen fuerit Episcopi Syracusani.

<sup>11</sup> *Genialis diaconus.*] Ita & in Rhemenfi. in nonnullis tamen, *Genialis Episcopus*, sicut in vulgatis.

<sup>12</sup> *De ciuitate Elosatium.*] Quidam *Tolosa*, vel *Tolosatum*, eorum fortasse iudicio, quibus minus nota erat ciuitas Elosatium.

<sup>13</sup> *Rescriptum Constantini.*] Extat in iisdem schedis Pithœanis, seu Tilianis, post collationem Donatistarum editum cum hoc titulo: *Epistola imperatoris Constantini, vbi dixit quia pars Donati, quomodo forenses, sic litigant, vt denuntient & appellent, & Imperatorem desiderant audire post Episcoporum iudicium.* Pertinere autem (quod Pithœum non vidisse mirum est) ad Concilium Arelatense, tum aliis argumentis deprehendimus, tum indicio epistolæ CLXII. S. Augustini, vbi eandem Constantini aduersus Donatistas detestationem commemorat. Sed epistola Concilii, cui Constantinus respondet, hæcenus reperta non est.

## NOTÆ SEVERINI BINII.

<sup>1</sup> *Concilium Arelatense.*] Huius Concilii celebrati causa hæc est. Donatistæ Romæ Concilio sub Melchiade habito condemnati, a sententia Episcoporum ad Imperatorem appellarant, ideo quod Felicis Aptungitani Episcopi traditoris, Cæcilianum, vt calumniabantur, traditorem ordinantis causa & controuersia nihil definitum esset. Constantinus imperator antequam appellantium sententiæ deferat, appellationem, qua ab Ecclesiastico iudicio ad sæculare tribunal prouocabant, impiam & iniustam esse ostendit, eo fine, vt temere appellantes ad parendum & acquiescendum inducat. Verum cum id, obstante eorum contumacia & seditione, frustra conatus esset, tandem ne qua illis denegatæ iustitiæ prætextus aut excusatio competeret, nouum iudicium decernit. Antequam tamen illius initium fieret, simulque ea omnia, quæ in causa Felicis Episcopi Aptungitani controuertebantur, (hunc enim sicut & Cæcilianum de sacris voluminibus persecutori traditis Donatistæ accusarant) vno iudicio finirentur, proconsuli Africano Imperator mandat, vt de facto & traditione Felicis Episcopi diligenter inquirat, quidve inter ceteros testes Ingentius scriba a Donatistis productus deponeret, sedulo examinet. Quibus peractis, proconsul Feli-

Causa Concilii Arelatensis.

Ad Imperatorem appellare hæreticorum est.



Ingentii re-  
stimonium.

Felix pro-  
consulari  
sententia  
absoluitur.

Locus ha-  
biti Conci-  
lii Arela-  
tensis.

Tractorie  
literæ Epi-  
scopis da-  
te. de earū  
forma vide  
Baron. ann.  
314. nu. 49.  
Numerus  
Episcoporo-  
rum.  
Silvester  
per legatos  
interfuit.

Qua ratio-  
ne Constā-  
tinus adhuc  
catechume-  
nus Conci-  
lio huic in-  
terfuerit.

Acta huius  
Synodi  
quæ.

cis innocentiam & Donatistarum calumniam multis testimoniis confirmatam cognouit. Ipse enim Ingentius scriba ad calumniandum, mentiendum, & Cæciliani epistolam ad Felicem Episcopum scriptam (quam infra hic nunc recens excudimus) falsandam mercede conductus, metu tormentorum imminentium crimen falsi suapte sponte confessus est. Vnde, quod erat iusti iudicis officium, Felicem a calumnia Donatistarum absoluit. A qua sententia Æliani proconsulis cum homines factiosi vicissim ad Imperatorem in Galliis morantem appellarent, proconsul per literas & acta proconsularia transmissa de tota causa eundem Imperatorem informat: ipsum vero Ingentium scribam carceribus mancipatum detinet, vt confessionem ante semel in Africa editam, in Gallia, si necessum fuerit, coram Imperatore & Episcopis Ecclesiæ vicissim emittat & repetat. Constantinus postquam tertia appellatio Donatistarum apud se interposita esset, literasque de rebus in Africa gestis accepisset, a Probiano Æliani defuncti successore per literas (quas nos infra subiungimus) petit Ingentium in Galliam transmitti, vt temere appellantes in omnium conspectu refutari possent. Et quia negotium Ecclesiasticum erat; neque per se neque per suos magistratus, sed per Episcopos iudices illud definiri voluit: ideoque cum in Galliis moraretur, Arelate, quæ est ciuitas Galliarum, Concilium in causa Cæciliani habendum indixit, & ad illud plurimos Episcopos per literas eiusdem argumenti, (quarum exemplar est epistola Constantini ad Chrestum supra posita) ad singulos Metropolitanos scriptas conuocauit. Et, ne qui sumptuum difficultate terri venire recusarent, pro publico viatico assequendo a præsidibus prouinciarum tractorias literas iisdem dari scripto mandauit. de quo vide epistolam Constantini ad Ælasium supra.

Ad petitionem igitur imperatoris Constantini Arelate compa-  
uerunt Episcopi, non vt scribit Ado in Chronico, sexcenti, sed du-  
centi dumtaxat illi, quos magna ex parte subscriptos habes; e quo-  
rum numero Claudius & Virus presbyteri, Eugenius & Cyriacus  
diaconi, nomine Pontificis Siluestri legationis munere fungentes,  
interfuerunt, & Concilio præfederunt. Quod autem præter morem  
Constantinus imperator adhuc catechumenus eidem interfuerit, id  
ipsum propter Donatistarum turbas ac seditiones arcendas petiuisse:  
Patres vero propter causam Concilii, qua non agebatur de fide, sed  
de iudicio Cæciliani, quod facti erat, concessisse videntur.

Hi omnes prædicto loco congregati, dum ex actis proconsulari-  
bus, quid in Africa apud Ælianum proconsulem in hac causa defini-  
tum fuerat, cognouissent; quidve Ingentius scriba de sua & aduer-  
sarium impostura confitebatur, coram singuli audiissent, Cæci-  
lianum innocenter secundo accusatum a calumnia aduersariorum  
schismaticorum Ecclesiastico iudicio secundo absoluit. Si autem  
iudicium in Africa sub Æliano proconsule habitum annumeretur,  
triplici conformi sententia condemnati, nequaquam fuerant audien-  
di: quia tamen Imperator futurum sperabat, vt imperatoriam ma-



ANNO  
CHRISTI  
314.

iestatem veriti, suo iudicio acquiescerent & obtemperarent; ad schisma Africanæ Ecclesiæ euitandum, quartæ eorum appellationi contra ius & æquitatem deferens, causæ cognitionem suscepit, & tandem post longam facti inquisitionem, hoc quod supra definitum est, confirmavit: quo euentu, videre est apud Baronium anno Christi 316. num. 61. & seqq.

Donatistæ  
ter condē-  
nati appel-  
lant ad Im-  
peratorem.

Causa Cæciliani absoluta, quæ ad optimum Ecclesiæ regimen pertinere videbantur, Patres Concilii Canonibus supra positis decreuerunt: quibus omnibus absolutis, Episcopi eadem munificentia ab Imperatore dimissi sunt, qua ad Concilium conuocati fuerant. Hæc ex S. Augustino epist. 68. Euseb. lib. 10. cap. 5. & ex Optato Mileuit. lib. contra Parmen. Baron. ann. 314. num. 21. & seqq. vsque ad num. 72. exclusiue: item anno 316. num. 57. & seqq.

Canones  
Concilii  
quales.

Hoc Concilium a Donatistis deprauatum & mutilatum fuisse, ex duplici causa colligimus: quarum prima est, quod Cæcilianus Carthaginensis Episcopus in hac Synodo absolutus, presbyter dumtaxat appelletur in subscriptionibus. Secunda est quod octauo Canone rebaptizantes Donatistæ condemnati, id de Arianis statutum fuisse indicare voluerint. Baron. ann. 314. num. 52.

Hoc Con-  
cilium a  
Donatistis  
deprauatū.

<sup>b</sup> *Celebratum.*] Hoc Concilium in Gallia consulibus Volufiano & Aniano celebratum, anno Christi 314. qui est Siluestri Pontificis primus, & Constantini imperatoris nonus, habitum esse, ex Fastis consularibus constat: quia cum consulatu Volufiani & Aniani, secundum veriorem temporis computationem, prædicti anni Pontificis & Imperatoris coincidunt. Vnde quod paulo post subiungitur, *Circa annum Domini trecentessimum vigesimum sextum*, ab aliquo superadditum fuisse certum est; cum exploratum sit, acta etiam Ecclesiastica non nisi consulibus consignari consueuisse. Nam ut anni a Christi aduentu notarentur, a Dionysio Exiguo primo factum esse, Beda de ratione temporum cap. 45. testatur.

Tempus ce-  
lebrati Cō-  
cilii Arela-  
tensis.

Quoto an-  
no Christi  
nati cele-  
bratum sit.

<sup>c</sup> *Domino & sanctissimo fratri Siluestro.*] His verbis continetur inscriptio & proœmium illius Synodalis epistolæ, quam Episcopi vna cum Canonibus a se statutis ad Siluestrum miserunt, ut ea quæ statuissent, ipse auctoritate Pontificia confirmaret, totique orbi obseruanda promulgaret. Integram vero Synodicam epistolam vide supra.

<sup>d</sup> *De obseruatione Pascha.*] Hoc Canone Patres id quod hætenus per Romanæ Ecclesiæ Episcopos fieri consuevit, denuo confirmarunt, nimirum, ut per Romanum Pontificem definiretur, eiusque literis ad vniuersos Christianos scriptis promulgaretur, quo potissimum tempore Pascha quolibet anno celebrandum foret, ne ex priuatis diuersorum supputationibus illud diuersis temporibus celebratum, suspicionem schismatis in Ecclesia exorti præbere posset. Baron. num. 59. Dum autem Nicæni Concilii tempore apud fideles diuersa supputatione deceptos, non iisdem Dominicis Pascha celebrari contingeret, Ægyptiique peculiarem scientiam Astrologiæ sibi vendicarent, placuit sanctæ Synodo Nicænæ Alexandrino Epi-

Tempus ce-  
lebrandi  
Paschæ  
Alexandri-  
nus Roma-  
no Pontifi-  
ci scribebatur  
Pontifex  
vero per to-  
tum orbem  
promulga-  
bat.



scopo, eiusque successoribus imponere, vt illi ex officio, quo potissimum die singulis annis Pascha celebrandum foret, Romanæ Ecclesiæ Episcopis primum significarent; a quibus reliquæ omnes Ecclesiæ certiores redderentur. Hæc, quamdiu Catholica communio in Ecclesia Alexandrina Episcopi sederunt, obseruata fuisse S. Leo epist. 64. testatur. Vide Baron. ann. 325. num. 110. & 111.

Can. 4.  
Agitatores  
esse in spe-  
tacularis  
Circensib.  
Christianis  
cur sit in-  
terdictum.

<sup>e</sup> *De agitatoribus qui fideles sunt.*] Cum frequenter accideret, vt Christiani qui in Circensibus spectaculis aurigæ & agitatores erant diuersarum factionum, in legem Ecclesiasticam peccantes, a communione Catholica exciderent, eorumque quibus inferuebant, factionibus sese implicarent, ac demum inter ipsos fideles, pro diuerso affectu erga aurigas, diuersæ factiones & studia orirentur, vt constat ex iis quæ S. Hieronymus tradit in rebus gestis S. Hilarionis: ad hæc omnia incommoda & pericula euitanda, S. Synodus noluit Christianos in Circo agitatores agere. Baron. num. 60.

Can. 6.  
Catechu-  
meni non  
per recon-  
ciliatiuum  
sed per ce-  
remonia-  
le baptismi  
recipiendi.

<sup>f</sup> *De his qui in infirmitate credere volunt.*] Hic Canon intelligendus est de manuum impositione ceremoniali illa, quæ in baptismo adhiberi solet. De qua Augustinus lib. 3. de vnico baptismo cap. 10. loquens, ait: *Quid enim est aliud manus impositio, nisi oratio super hominem?* Item illud eiusdem August. lib. 2. de pecc. meritis & remiss. cap. 26. vbi ait: Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis sanctificari: Vt iisdem manus impositio reconciliatiua imponatur, nefas est & plane illicitum.

Can. 7.  
Schismatici  
& hæretici  
a magistratibus arcentur.

<sup>g</sup> *De præsidibus qui fideles.*] Hanc legem optimo reip. statui vtilem, qua schismatici atque hæretici a præfecturis, ceterisque magistratibus penitus excludendi forent, ipso Constantino imperatore auctore promulgatam esse, inde colligere licet, quod huic sacro Conuentui Imperator ipse interfuerit, nihilque contradixerit. Vide Baron. præd. loco.

Can. 8.  
Donatistæ  
rebaptizabant.

<sup>h</sup> *De Arianis qui propria lege sua.*] Occasione Donatistarum, quosuis ad se transfugas baptizatos, velut immundos & traditione pollutos rebaptizantium, hac Synodo confirmatur id, quod ante statutum fuit; nimirum eorum dumtaxat baptismum iterandum esse, qui non ea forma, qua solet vti Ecclesia, per expressam scilicet sacrosanctæ Trinitatis inuocationem baptizati essent. Vide Notas ad Can. Apost. 58.

Can. 9.

<sup>i</sup> *De his qui Confessorum literas.*] De literis confessorii & communicatorii vide Notas nostras in vitam Sixti I. & ad Concil. Eliberit.

Can. 13.  
Donatus  
lapsos ad  
penitentiam  
& functionem  
episcopalem  
recipiens  
condemnatur.

<sup>k</sup> *De his qui scripturas.*] Optat. Mileuit. lib. 1. contra Parm. scribit Donatum a Casisnigris duplici de causa condemnatum fuisse; tum quod rebaptizasset, tum quod Episcopis lapsis manum imposuisset; sic, vt in Ecclesiæ communionem recepti, in functione & munere Episcopali adhuc perseverarent. Quod cum Donatus schismaticus contra disciplinam Ecclesiasticam facere præsumpsisset, ne præsumptum scelus latius serperet, hanc regulam statuerunt. Baron. præd. ann. num. 62.

<sup>l</sup> De



ANNO  
CHRISTI  
314.

<sup>1</sup> *De his qui falso accusant.*] Cum Patres Concilii Cæcilianum & Felicem Aptungitanum calumniis circumuentos fuisse, ex actis causæ coram se ventilatæ probe cognouissent, aduersus falsos accusatores hoc decretum ediderunt.

<sup>m</sup> *Chrestus Episcopus.*] Ducentorum Episcoporum, qui huic Concilio, teste August. aduersus Parmen. lib. 1. cap. 5. interfuerant, nomina quædam hic subscribuntur. Eadem vero prioribus editionibus Conciliorum, secundæ Arelatensi Synodo præfixa fuerunt, sed mendose & cum graui errore. Nemo enim fere omnium Episcoporum hic subscriptorum ea tempora attigit, quibus Arelatense Concilium secundum celebratum est. Canones in eo positi euidentissime ostendunt, illud non modo post Concilium Nicænum, verum etiam post hæresim Photini emergentem, postque Vafense Concilium, celebratum esse; quo tempore Episcopos omnes hic subscriptos non superuixisse, certum est. Maternum Agrippinensem annum Christi 346. Verum Episcopum Viennensem 337. non excessisse, successorum tempora indicant: accedit, quod non tantum Maternus Colonienfis, sed etiam Marinus Arelatensis, Meroles Mediolanensis, Probus Capuanus, Rheticus Augustodunensis, Episcopi, Romano Concilio sub Melchiade habito anno 313. auctore Optato Mileuitano libro primo contra Parmen. interfuisse conscribuntur: vt ergo iidem Vafensi Concilio interfuerint, credibile non est. Hæc eadem inscriptione ibidem posita confirmantur, quæ sic habet: *Celebratum est autem idem Concilium tempore beati Siluestri, &c. Volusiano & Aniano uiris clarissimis consulibus*, anno nimirum vndecimo ante Nicænum Concilium.

Nomina Episcoporum mendose admodum subscripta reperiuntur. Nam loco Meroelis Episcopi Mediolanensis, Orosius; loco Probi Episcopi Capuani, qui simul ambo Romano Concilio sub Melchiade, vt ex Optato Mileuitano constat, interfuerunt, Proterius legitur. Et qui grauissimus est error, loco Chrestii, habent Sixtum Syracusanum Episcopum, vt ex Luciano in Philop. patet: quasi nimirum indecorum fuerit, proprio nomine, quod gentilibus æque vsitatum erat, aliquem Christianum appellari: & pro Amanfio Rhemenfi Episcopo, ac Primogenito diacono, corrupte (vt apud Flodoardum lib. 1. cap. 5. patet) habent Ibethanium seu Betaufium. Vide Baron. ann. 314. num. 51. Quod scribit Ado in Chron. cum Marino Arelatensi Claudium Viennensem huic Concilio interfuisse, erroneum esse ostenditur; quia Verus illius antecessor hic subscriptus legitur. Causam errandi error in tempore habiti Concilii suppeditauit: putant enim tempore Nicæni Concilii primam Arelatensem Synodum celebratam fuisse. Vide Baron. num. 19.

Canon 14.  
Decretum  
aduersus  
falsos ac-  
cusatores  
Episcopo-  
rum.

Acta Ecele-  
siastica  
Chronolo-  
giæ natiui-  
tatis Chri-  
sti a Diony-  
sio notari  
cepta.  
Subscri-  
ptiones E-  
piscoporum  
trāspositæ.

Nomina  
subscripto-  
rum pluri-  
ma mendo-  
sa sunt.



*Epistole quarum supra verbo, Concilium, meminimus.*

ANNO  
CHRISTI  
314.

EPISTOLA CÆCILIANI AD FELICEM.

*Cæcilianus parenti Felici salutem.*

Extat apud  
Baron. ann.  
314. num. 22

CUM Ingentius collega meus Augentianum amicum suum conueniret, & inquisisset anno duouiratus mei an aliqua scripturæ legis vestræ secundum sacram legem adusta sunt. \* quam Galatius vnus ex lege vestra publice epistolas saluatorias de basilica protulerit. Opto te, parens carissime, bene valere.

EPISTOLA CONSTANTINI AD  
Probianum, qua petit Ingentium ad se transmitti.

*Imperatores Cæsares, Flavius Constantinus Maximus & Valerius Licinius, ad Probianum proconsulem Africae.*

Extat apud  
August. e-  
pist. 68. &  
Baron. ann.  
314. nu. 30.

ÆLIANVS prædecessor tuus merito, dum vir perfectissimus Verus vicarius præfectorum tunc per Africam vestram incommoda valetudine teneretur, eiusdem partibus functus, inter cetera etiam id negotium, vel inuidiam, quæ de Cæciliano Episcopo Ecclesiæ Catholice videtur esse commota, ad examen suum atque iussionem credidit esse reuocandam. Etenim cum iam Superium centurionem, & Cæcilianum magistratum Aptungitanorum, & Saturninum excuratorem, & Calibium Iuniorem eiusdem ciuitatis curatorem, atque Solonem seruum publicum suprascriptæ ciuitatis, præsentem esse fecisset, audientiam præbuit competentem: adeo vt cum Cæciliano fuisset obiectum, quod a Felice eidem Episcopatus videretur esse delatus, cui diuinarum scripturarum proditio atque exustio videretur obiecta; innocentem de eo Felicem fuisse constiterit. Denique cum Maximus Vigentium \*, decurionem Ziquensium ciuitatis, epistolam Cæciliani ex diuino iure falsasse contenderet: eundem ipsum Vigentium suspensum actis quæ suberant peruidimus, & ideo minime tortum, quod se decurionem Ziquensium ciuitatis asseuerauerit. Vnde volumus, vt eundem ipsum Vigentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum Constantini Augusti mittas; vt illis

\* Ingentium



ANNO  
CHRISTI  
314

qui impræsentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus, & coram assistentibus apparere & intimari possit, frustra eos Cæciliano Episcopo invidiam comparare, atque aduersus eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet, vt ommissis, sicut oportet, eiusmodi contentionibus, populus sine dissensione aliqua religioni propriæ cum debita veneratione deferuiat.

ANCYRANVM CONCILIVM,  
TEMPORE b SILVESTRI PAPÆ I.  
CELEBRATVM.

*Probatum a Leone IV. d. 20. c. de libellis.*

ΚΑΝΟΝΕΣ ΤΩΝ ΕΝ ΑΓΚΥΡΑ ΣΥΝΕΛΘΟΝΤΩΝ  
μακαρίων πατέρων οἱ ἅγιοι πατριάρχαι καὶ ἐπίσκοποι  
ἐκτεθέντων κανόνων, διὰ τῶν ἁγίων  
οἰκουμένης συνόδου ἀποστόλων.

REGVLÆ SANCTORVM PATRVM, QVI  
*Ancyra conuenerunt: quæ quidem Canonibus Nicanis priores sunt,  
sed propter Oecumenicæ Synodi auctoritatem postponuntur.*

GENTIANO HERVETO INTERPRETE.

a.

i.

**Π**ΡΕΣΒΥΤΕΡΟΥΣ τοὺς  
ἐπιθύσαντας, εἴτα ἐπαναπα-  
λαίσαντας, μήτε ἐκ μεθόδου Ἰαννοῦ,  
ἀλλ' ἐξ ἀληθείας, μήτε παρακατα-  
σιθίσαντας καὶ ἐπιτιμώσαντας καὶ  
πειθίσαντας, ἵνα διδώσι μὴ βασιλείοις  
ἑσθλάλλεας, ταύτας ἢ τῶ δοκεῖν καὶ  
τῶ γήματι προσερχθῆναι· τοῖσι ἐ-  
δόξε τῆς μὲν ἑκείνης καὶ τῶ καθέ-  
δραν μετέχειν, προσφέρειν δὲ αὐ-  
τῶν, ἢ ὁμιλεῖν, ἢ ὅλως λειτουργεῖν  
ἐν τῇ ἱερατικῶν λειτουργίᾳ, μὴ  
ἄλλο τι.

*Concil. Tom. 2.*

**P**RESBYTEROS, qui sa-  
crificarunt, deinde contra  
reluctati sunt, non fraudulenter  
& infidiose, sed vere, nec hoc  
prius machinati sunt, nec con-  
sulto ac de industria id fecerunt,  
& persuaferunt, vt tormentis sub-  
iici viderentur, cum ea specie &  
opinionē tantum inferrentur: vi-  
sum est eos cathedræ quidem ho-  
noris esse participes, non licere  
autem ipsis offerre, seu sermo-  
nem conferre, vel omnino sa-  
cerdotale aliquod munus obi-  
re.

F ij